

msi aliquid solvat, ne Confrater possit Confratrem in jus vocare, ne adscribatur quis in altera Confraternitate, et aliis id

### CONFUSIO PRO ACQUIRENDO RERUM DOMINIO

Vide verb. DOMINIUM, art. 3, a num. 105, 110.

### CONGREGATIONES ECCLESIASTICÆ ROMANÆ.

#### ARTICULUS NOVUS CASINENSIS.

#### SUMMARIUM.

1. Semper ab omnibus Ecclesiis particularibus ad Roman. Pontificem de rebus gravioribus in illis occurrentibus relatum est. — 2. Origo Roman. Congregationum. — 3. Earum præstantia. — 4. Et auctoritas. — 5. De Congregatione Consistoriali, seu Consistorii Consultrice. — 6. Bulla Institutionis. — 7. Ejus munera. — 8. Congregatio Inquisitionis. *Remissive.* — 9. Congregatio Indicis librorum prohibitorum. — 10. Afferuntur nonnulla exempla damnationis librorum. — 11. Index librorum prohibitorum. — 12. Bulla Institutionis. — 13. Ex quibus constat hæc Congregatio. — 14. Ejusque munera. — 15. Bulla Benedicti XIV. — 16. De aliis. *Remissive.* — 17. De Congregatione SS. Rituum. — 18. Bulla Institutionis. — 19. Quomodo dividatur hæc Congregatio. — 20. De Congregatione extraordinaria. *Remissive.* — 21. Ordinariæ Congregationis munera. — 22. De aliis *Remissive.* — 23. De Congregationis Immunitatis institutione. — 24. Ex quibus constat. — 25. Hujus Congregationis officia. — 26. De origine Congregationis Rev. Fabricæ. — 27. Rev. Fa-

(1. Cum Christus Dominus Beato Petro ejusque in Pontificatu successoribus curam commisisset *Fratres in fide confirmandi*, semper ex ipsis Ecclesiæ incunabulis ab omnibus Ecclesiis particularibus ad Rom. Antistitem relatum est de rebus gravioribus in illis occurrentibus. Cujus rei in primis indubitam reddunt fidem epistola Corinthiorum Ecclesiæ ad Clementem Rom. Episcopum sæculo primo exeunte, ipsiusque Clementis literæ auctoritatis plenissimæ illis redditæ, uti testantur S. Irenæus 1, 3 advers. Hæres. c. 3; S. Epiphanius hæres. 27, et D. Hieronymus 1. de viris illustribus, c. 15. Sæculo vero II. S. Polycarpus Romam venit, ut ageret cum Aniceto de Paschatis celebratione, et Martyres Lugdunenses Irenæum ejusdem Ecclesiæ Presbyterum ad Eleutherium miserunt ob quasdam Ecclesiæ quæstiones. Hieronymus de Scriptor. Eccles. cap. 35., et Beda Hist. Anglor. lib. 1, c. 4. Sæculo III. S. Cyprianus in quæstione de lapsis scripsit ad Fabianum et Cornelium, uti videre licet in ejusdem epistolis. Et S. Hieronymus testatur, Orientalium et Occidentalium Episcoporum consultationes affluere in Pontificatu S. Damasi his verbis: « Cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, et Orientis, atque Occidentis consultationibus responderem. Epist. XI. » Et ut cætera prætermittam, præclarissimum est testimonium Innocentii I. in sua epistola ad Concilium Milevitanum, cum ipsius Synodi Patres laudat, quod custo-

genus peculiaribus statutis quid sentiendum sit, vide Bass. de sodalit. dict 4, n. 2, ad fin.

bricæ munia. — 28. Benedicti XIV statuta quoad hæc Congregationem. — 29. Ipsius Congregationis resolutiones. — 30. Et edicta. — 31. Interpretatio Constitutionis Gregorii XVI. — 32. Objectiones contra hujus Congregationis privilegia. — 33. Origo Congregationis Concilii. — 34. Testimonia antiquitatis ad vindicandum Pontifici jus inquirendi in Canonum observantia afferuntur. — 35. Erectio hujus Congregationis. — 36. An Pontifex deputando Cardinales contra Concilii Tridentini mentem egit. — 37. Cong. Conc. Officia. — 38. Et Officiales. — 39. Congregatio Prælatorum Congregationi Cardinalium Concilii interpretum adjuncta. — 40. Bulla Institutionis. — 41. Congregatio Episcoporum et Regularium. — 42. Ex quibus constat hæc Congregatio. — 43. Hujus Congregationis munia. — 44. Congregatio de Disciplina. — 45. Constitutio Innoc. XII. — 46. Constitutio Pii VI. — 47. Congregatio Propagandæ Fidei. — 48. Ejusque Collegium. — 49. Ex quibus componitur. — 50. Munia ejusdem Congregationis. — 51. Congregatio Indulgentiarum. — 52. Bulla Clementis IX. — 53. Jurisdictio hujus Congregationis. — 54. Alia de Congregationibus. *Remissive.*

diendo: « Patrum instituta, quæ illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret; ut tota hujus auctoritate, juxta quæ fuerit pronuntiatio, firmaretur; indeque sumerent cætera Ecclesiæ, quid præcipere et quid vitare deberent; » inter Oper. S. August. tom. 11, pag. 620, 639. edit. Maur. Par. an. 1679. S. Avitus Archiepiscopus Viennensis epist. 32, edit. Sirmond. hæc habet: « Scitis Synodaliū legum esse, ut in rebus quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanæ Ecclesiæ summum Sacerdotium, quasi ad caput nostrum membra sequentia recurramus. » Episcopi Africani demum in Epistola synodica ad Pontificem Theodororum sæculo VII ita loquuntur: « Antiquis Regulis sancitum est, ut quidquid, quamvis in remotis, vel in longinquis positus ageretur Provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum. » Et idipsum clarissime patet ex innumeris Pontificum Rom. decretalibus, seu epistolis, quibus variis consultationibus Orbis universi rescribebatur. (2. Et postremis hisce sæculis tanto excrevit Consultationum Quæstionumque multitudo, ut necesse fuit varias instituere Cardinalium Congregationes, cui propositis dubiis, respondendi munus committeretur. (3. Aliquid tamen generatim præmittere oportet de

talium Congregationum auctoritate, præstantiam antequam de illis speciatim dicere aggrediamur. Et quia nonnulli inconsiderate spernunt Sac. Congregationum decisiones, quasi nullius sint momenti, non ac re erit præstantissimi viri acatholici sententiam in medium adducere, ex qua clare appareat quanta reverentia et observantia Rom. Congregationum decreta suscipienda sint. Clarissimus ergo Leibnitiū in epistola quasdam ad P. de Besses Soc. Jes. hæc habet: « Gratum erit, si subinde me doceas, quæ in vestro Ordine, aut alias in re litteraria, præsertim sacra, philosophicaque gerantur; et utile esset discere quæ Romæ decernantur in Congregationibus, velut Rituum, Inquisitionis, Indicis, etc., nam talia a me minime spernuntur. » Leib. Opera omnia edit. de Turnes. Tom. 2, part. 1, p. 276.

(4. Omnis tamen vis et auctoritas quam Sac. Congreg. decreta sibi vindicant pendet a plenitudine potestatis Pontificis in condendo novas leges et eas interpretando; de qua satis supra diximus. Propterea illius nomine ejusdemque auctoritati innixæ Sac. Congregationes, omnibus fidelium, quantumvis remotissimis, consilia præbent, dubia resolvunt, lites contentionesque componunt, gratias ac privilegia impertiunt, eorumque consultationibus respondent. Et hæc est differentia inter illorum cæterorumque doctorum responsa, quod privati doctores legem non constituent, dum Sac. Congregationum decreta omnino dirimunt quæstionem; et cum potestate legislativa innitantur, eorum interpretationes faciunt jus commune t. 12, de LL. et t. 35, 36, 37, ff. de LL. Ut vero talia decreta vim legis habeant quatuor conditiones requiruntur. 1. Ut constet sufficienter quod sint declarationes Sac. Congregationis, propterea munitæ sigillo authentico Congregationis, et signatæ ab ejusdem Secretario et a Cardinali Præfecto esse debent. Nam Sac. Congreg. Conc. de commissione Urbani VIII, an. 1631, mandavit et præcepit « hujusmodi Declarationibus, tam impressis et imprimendis, quam manuscriptis, nullam fidem esse in judicio vel extra a quoquam adhibendam, sed tantum illis quæ in authentica forma, solito Sigillo, et subscriptione Emin. Cardinalis Præfecti et Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. In quorum fidem, » etc. *Datum Romæ die 2 Augusti 1631.* Ita refert Barbosa lib. 1. Juris Eccles. univ. cap. 4, n. 83. 2. Ut referatur in ipsa declaratione, fuisse pronuntiata consulto Pontifice; nam sic statuit Sixtus V. Constit. 74, tom. 2, Bullar. magni. 3. Ut Cardinales solum declarent, et interpretentur, non vero disponant aut dispensent, aut restringant, aut amplient ultra vim verborum et regulas juris. Torreblanc. in prat. jur. Eccl. lib. 14, c. 3, n. 19. Merolla in disput. Theolog. tom. 2, disp. 4, cap. 4, dub. 12, num. 173. Hæc speciatim pertinent ad Congregationem S. Concilii Tridentini interpretis, de qua vide etiam Fagnan. in cap. *Quoniam* de constit. in prima

parte 1. lib. Decret. Card. de Luca in adnot. ad Concil. Trid. disp. 1, n. 17. Schenkl Institut. juris eccles. ex edit. Scheilii an. 1830, cap. 7. De aliis Congregationibus vide Schmalzgrueber dissert. Præm. § 9, n. 373, seq. Si vero declarationes Congregationis sunt extensivæ, scilicet si egrediuntur a simplici interpretatione, et ultra id quod legum verba proprie denotant, aliquid concedant, prohibeant, dispensent, etc., non habent vim legis, nisi fiant ex speciali mandato Papæ; quomodo sunt decreta Congreg. S. Concilii Tridentini jussu Urbani VIII de alienatione rerum temporalium ad monasteria, etc., pertinentium 7 Sept. 1624, edita. Ergo decreta SS. Congregationum cum necessariis habeant conditiones constituunt *rem judicatam*; et habentur pro apostolicis Constitutionibus, cum apprehantur a Romano Pontifice; editaque in particularibus casibus, constituunt legem pro rebus similibus. Demum novissima derogant prioribus, cum contradictoria reperiuntur, et nullam posterius vim habent, cum deficiat fundamentum quo innitebantur. De Congregationum auctoritate Sede Vacante vide Auctor. verb. *Cardinal.* art. 5, num. 43 pag. 235, nos. *Edit.*

#### CONGREGATIO CONSISTORIALIS.

(5. Variæ sunt Congregationes, et aliæ quidem ordinariæ, aliæ extraordinariæ, quæ scilicet ad Pontificis beneplacitum convocantur, et finita causa, qua convocata fuerant, cessant pariter. Nos, omissis cæteris extraordinariis Congregationibus, loquemur in primis de Consistoriali, sed Consistorii Consultrice. Hæc enim ordinaria et extraordinaria nuncupari potest: ordinaria, quia semper constituta ex aliquo determinato numero personarum; extraordinaria vero, quia congregatur ad beneplacitum Pontificis. Nam cum sæpe, ut loquitur Cardinalis de Luca, in plerisque actibus qui in Consistorio coram Pontifice agitantur, interessati oppositores adesse soleant, adeo ut disputationem contentiosam habere oporteat, cumque talis forma ad servandam Consistorii majestatem ab illo excludatur, statuta fuit particularis Congregatio, quæ pararet negotia in Consistorio tractanda.

(6. Hæc Congregatio ordinata fuit a Sixto V, in sua Constitutione CXVII.

#### SIXTUS EPISCOPUS

#### SERVUS SERVORUM DEI

#### Ad perpetuam rei memoriam.

« Immensa æterni Dei omnium opifex sapientia a fine usque ad finem fortiter attingens, sic cuncta inter se admirabili concordia nexu copulavit suaviterque disposuit, ut vicissim ad suorum se munerum functiones exercendas mutuis auxiliis sublevarent. Ipsa in Cœlesti Hierusalem varios beatorum spirituum ordines distinxit, quorum superiores de divinæ providentiæ rebus inferiores illuminarent. Ipsa militantis Ecclesiæ, quæ triumphantis illius imago est, corpus

varius membris discrevit, quæ capiti suo glutino charitatis compacta et connexa, mutuo se adjuvant, ex quo totius corporis salus, et conservatio existeret.

« Quare jure optimo Romanus Pontifex, quem Christus Dominus corporis sui, quod est Ecclesia, visibile caput constituit, omniumque Ecclesiarum sollicitudinem gerere voluit, multos sibi tam immensi oneris adjuutores advocat, atque adsciscit, cum venerabiles Episcopos fratres suos, quos toto terrarum orbe ad singulos greges pascendos mittit, tum amplissimum ordinem S. R. E. Cardinalium, qui tamquam nobilissima membra capiti propius coheræntia, eidem Summo Pontifici, sicut Christo Domino Apostoli, semper assistant, quique primi laborum, et consiliorum socii sunt, et participes, ut partita inter eos, aliosque Romanæ Curie Magistratus, ingenti curarum, negotiorumque mole, ipse tantæ potestatis clavum tenens, divina gratia adjutrice, non succumbat....

« Illa præterea cura ad Pastoralis nostri Officii sollicitudinem, et Ecclesiæ universalis gubernationem maxime pertinet, ut ad fidelium populorum utilitatem, Ecclesiis jam erectis, aut in posterum justis de causis erigendis, de Episcopis, et Pastoribus idoneis, et fidelibus ac fructuosis, in vinea magni Patrisfamilias operariis salubriter in Domino provideamur.

« Quare aliam constituimus Cardinalium Congregationem, qui in primis cognoscant de legitimis causis erectionum novarum Ecclesiarum quarumcumque, Patriarchalium, Metropolitanarum, et Cathedralium; ac de cujusque earum Dote, Capitulo, Clero, Populo, et aliis, quæ ad ejusmodi erectiones, juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini, et Sanctorum Patrum decreta, necessaria erunt. Examinent præterea omnes difficultates de his incidentes, controversias quoque inter eas, quæ jam erectæ sunt, nec non dectarum Ecclesiarum, Diocesium, vel Monasteriorum uniones, dismembrationes, cessiones, permutationes, translationes, pensionum super illarum redditibus assignationes, Monasteriorum pluralitatem, dignitatum incompatibilitatem, præsentationes, et nominationes, electionum, sive postulationum confirmationes, seu admissiones, suffraganeorum coadjutorumque deputationes, cum futura successione, sive absque eadem successione, curamque adhibebunt solertem circa ætatem, et qualitatem promovendorum, eaque discussa, et examinata ad Nos, Successoresque nostros referant, ut pro nostro, eorumve arbitrio, in Consistorio secreto juxta formam in hunc usque diem servatam proponantur.»

(7. Constat talis Congregatio ex competentibus numero Cardinalium et peritorum Prælatorum, cum Secretario qui solet esse non Prælatum, sed peritus aliquis togatus. Examinantur in ea materiæ in Consistorio tractandæ, et audiuntur partium oppositiones, si forte locum habeant, in forma mere contentiosa, proportionata tamen stylo Congregationum Cardinalium; et ita, quando agitur

de unionibus vel divisionibus Ecclesiarum seu etiam dismembrationibus vel novis erectionibus, probari debet, an verificentur justæ causæ, vel requisita necessaria; sic etiam examinantur causæ et requisita, quibus admitti possunt renunciaciones Episcoporum; Cardin. de Luca lib. 15, part. 2. Relat. Rom. Cur. Disc. § 25, pag. 238. Et ut ipse concludit « in summa ista Congregatio Consistorialis est ipsius Consistorii pars » seu membrum, aut ejusdem Consistorii Consultor, vel Assessor, adeo ut non nisi de « ejus voto negotia consistorialia, quæ controversia pati valeant explicentur ibid. § 26. »

## CONGREGATIO INQUISITIONIS.

(8. De Congregatione Inquisitionis, vide verb. *Inquisitionis S. Officium*, et *Inquisitores*.

## CONGREGATIO INDICIS.

(9. Cum Ecclesiæ proprium sit curare, ut cunctis sana religio, moresque integri sint, utque omnis mali atque erroris auferatur occasio, non vetat tantum societatem et consuetudinem hæreticorum, eorumque omnium, qui male de religione sentiunt, et non solum providet ut sint in illa Magistratus, qui in fidei corruptores inquirent, pœnisque coerceant, sed etiam omni studio contendit, Christi Domini gregis oves a noxis pascuis prohibere. Nam cum ea quæ legimus magis hæreant impressa animo et difficilius et memoria elabantur, semper Ecclesiæ curæ fuit, et filiorum suorum manibus eripere illos libros, qui fidem labefactare, moresque depravare aliquo modo possent. Quia in re non Christianorum tantum utilitati, sed etiam incolumitati prospicit et decori Divinissimæ illius Religionis, quam perdit homines omnia via obrectare student. (10. Et talis quidem apud Hebræos et Ethnicos ipsos mos invaluerat e manibus hominum tollendi libros omnes, qui mores depravare possent, uti videri potest in Origen. Prolog. in Cant. opp. tom. 3, pag. 26, edit. Paris. 1740, Cicer. de Natur. Deor. 1. t. num. 23, opp. tom. 2, p. 525, edit. Oliveti Genevæ 1743. Livium lib. 25, c. 1, t. 3, p. 939, 1. 39, c. 16, lib. 40, cap. 29, t. 5, pag. 330 et 490, et Drakenborchii Lugd. Batav. 1743. Valerium Maximum lib. 2, cap. 1, tom. 1, pag. 23, edit. Torernii Leidæ 1726. Senecam Controv. præm. lib. 5, t. 3, opp. 348, ed. Amst. 1682. Quod vero sic semper tenuerit Ecclesia, dubitare omnino non potes, si paulo attendas iis quæ supersunt antiquitatis documentis, etc. Ac, ut nihil dicamus de D. Paulo, quem omnes norunt Ephesi combussisse libros omnes eorum, qui fuerant curiosa sectati; Act. Apostol. 19, in canone 52, 59, 60. Apostolorum apud Cotelerium PP. Apostol. tom. 1, pag. 430, edit. Amstelodam. 1724, legimus vetitum divulgari *falso inscriptos impiorum libros*. S. Cyprianus prohibuit libros schismaticorum, ut ex ejus Epist. 45, p. 231, edit. Amstelod. 1700, pag. 128. Patres Nicæni Arii Thaliani proscripserunt; Socrates Histor. lib. 1, cap. 21, p. 40, edit. Valesii Cantabrig.

1720. Nicephor. lib. 8, cap. 48, p. 569, t. 1, edit. Paris. 1630, et Constantinus Imperator ab omnibus tale decretum observari mandavit; Socrat. loc. cit. Et Origenis libri sæpe damnati fuere; Soz. Hist. 1. 8, c. 14. Socr. lib. 6, c. 9, p. 324, edit. cit. Hieronim. 1. 2, Contr. Rufin. n. 22, t. 2, col. 515, edit. Valarsii Veronæ. Potestas vero improbandi damnandique libros, qui religioni bonoque universali adversantur, proprie pertinet ad Ecclesiam, sive sparsam per orbem, sive in Concilio congregatam, et potissimum ad ejus caput Rom. Pontificem; cui præcipue Dominus noster gregis pascendi curam commisit. Unde III sæculo ad Pontianum Pontificem missi fuerunt Origenis libri, ut ab illo damnarentur. Const. in Pontian. § unic. num. 1, col. 116, et in Fabian. § 1, n. 1, col. 117. Episcopi Africani ad Innocentium I, literas dederunt, ut Pelagii errores damnarent. « Anathemet ergo, inquit, Pelagius scripta sua. Aut se sua esse negat, aut scriptis suis ab inimicis suis dicit immissa, quæ sua esse negat, anathemet ea tamen, et damnent paterna exhortatione, et auctoritate Sanctimonie tuæ. . . Si enim cognoverint (*Pelagii Socii*) eundem librum, quem illius vel putant esse, vel norunt, Episcoporum catholicorum auctoritate, et maxime Sanctitatis Tuæ, apud eum esse majoris ponderis non dubitamus, etc. » Constant. Epist. Rom. Pontific. col. 88. Et Innocentius illis respondit, Pelagii librum, quem legerat, a quo vis calcandum, atque damnandum, ut ipse Constant. loc. cit. col. 905. Leo M. Priscillianistarum libros igni tradi mandavit. Ep. 15, t. 2, opp. p. 694, ed. Baller. Ven. Plura hæreticorum volumina Gelasii I, et Symmachi opera incendio conflagrarunt, Anast. Bibliot. in Gelas. t. 1, p. 167; n. 2, edit. Rom. 1724, et Symmach. n. 1, p. 175. Similiter etiam egit S. Gregorius M. lib. 6, Epist. 66, opp. tom. 2, col. 842, edit. Paris. 1705, ubi peropportune lectoribus consideranda veniunt verba adjecta a Monachis Cong. S. Mauri; « agnoscendam esse scilicet in Romanis Pontificibus libros aliquos prohibendi potestatem, et consuetudinem, cui parere etiam tenebantur Orientalis Ecclesiæ alumni Constantinopolitano Patriarchæ, aut alteri alioquin subditi. » Unde Turonensis Concilii Patres an. 567, cap. 20, apud Labeum t. 6, conc. col. 541, inquit. « Et quorum auctorum valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica aut semper intromisit, aut apocryphos fecit? et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas. » In responsionibus Nicolai I ad Consult. Bulgar. n. 103, apud Labeum Concil. tom. 9, col. 1566, habemus, illum vetasse retineri, et jussisse comburi Saracenorum libros, quos Bulgari invenerant. Vide etiam Concilium Romanum ann. 868, apud Labeum t. 10, col. 447, ubi habes id quod egit Hadrianus II, contra Photii libros; atque hoc quidem factum in VIII Concilio OEcumenico probatum est in Action. 7, apud Labeum tom. 10, col. 847. Joannes Diaconus scribens ad Joannem VIII Ponti-

ficem sæculo IX, inquit: « Romano Pontifici, Deus omnipotens probandorum, seu expellendorum scriptorum omnium specialem dedit procul dubio potestatem, de S. Greg. Magni vita t. 4 Oper. S. Gregor. ed. Paris. col. 20. » Leo IX damnavit in Romana, deinceps in Vercellensi Synodo Scoti librum; apud Labeum tom. 11, col. 1431, ed. Venet. cit. Item damnavit libros Petri Abælardi Innocentius II. Epist. ad Archiep. Remens. et Senon. et ad Bernardum Abbatem; apud Labeum tom. 12, col. 1415 et 1420, et alium librum Joannis Scoti Honorius III. Mabillon. Præf. ad Sæcul. 4, Benedictin. § 8, num. 135, p. 66, edit. Paris. 1680. Et sic similiter enumerari possent damnationes Innocentii IV, in libros Talmudicos Hebræorum. Raynald. ad an. 1244, num. 42 et 21, pag. 312, ed. Lucæ Gregorii IX, in libros Aristotelis, ejus Constit. apud Raynald. ad ann. 1231, num. 48, p. 50, edit. Lucæ; Joannis XXII. contra scripta Marsilii Patavini, et Joan. Janduni apud eundem Raynaldum ad an. 1327, n. 28, seq. tom. 24, Annal. p. 847, ed. Lucæ. De libris Raymundi Lulli, et Joannis Wiclefii vide Raynald. ad ann. 1374, n. 12 et 26, p. 352, et ad an. 1372, num. 35, p. 229, ib. et ad ann. 1409, n. 8, tom. 27, p. 303. Natal. Alex. Hist. Eccles. sæc. 13 et 14, c. 3, art. 20, tom. 8, p. 90, ed. Venet. 1776. Demum vide Const. *Exsurge, Domine* 44, p. 487, tom. 3, Bullar. Roman. qua Leo X damnat opiniones et scripta Lutheri. Vide Valsecchi *Fond. della Relig.* tom. 3, p. 3, cap. 4. Franc. Anton. Zaccaria *Storia Polemica della proibizione de' Libri lib. 1.*

Plus quam par erat hic immorari sumus; etenim, cum Indicis Congregatio, de qua sumus loquuturi, omnem suam auctoritatem accipiat a Romano Pontifice, probata his argumentis Ecclesiæ, ejusque Capitis in prohibitione librorum potestate, clare profecto perspicitur qualis sit ejusdem Indicis Congregationis præstantia, et quanti roboris sint ejus definitiones.

(11. Nam quamvis tanta sint in antiquitate vestigia prohibitionis librorum, nondum tamen in mentes hominum venerat prohibitorum librorum Indicem conficere usque ad sæculum XVI; tunc enim, cum subito et inopinato incursu pravorum librorum coluvies excrevisset, Romani Pontifices huic malo occurrere volentes, primum cogitare ceperunt de Indice condendo; quod Paulus IV operi mandavit anno 1537 et 1538. Pius vero IV, ejus successor, totum negotium ad Concilium Tridentinum detulit. « Sed cum hisce calamitosis temporibus, ut inquit Clemens VIII, in Constit. *Sacrosanctum*, antiquus humani generis hostis a sua malitia numquam recedens ad eandem Catholicam doctrinam labefactandam pestiferas hæreses, ac detestabiles errores, aut novos conflasset, aut veteres ex infernis excitasset, Sacra Tridentina Synodus pestilentem noxiorum librorum copiam, quæ plus nimis exereverat, coercere, aut auferre cupiens, primum quidem doctissimos aliquos viros delegit,

qui de tota re cognoscerent, et deliberarent; deinde vero, cum illi in eo negotio parum progressi essent, justis causis eadem Synodus permota ad ipsam Sedem rem totam deferendum statuit. Itaque fel. rec. Pius Papa IV, Prædecessor noster, qui tum ad Ecclesiæ gubernacula sedebat, Prælati quibusdam doctrina, et prudentia præstantibus adhibitis Indicem librorum prohibitorum et Regulas quasdam per suas litteras in forma Brevis promulgavit, et hujusmodi noxiorum librorum detrimentis depellendis opportune providit. » Hanc constitutionem Clemens præposuit Indici Pii IV, a Sixto V, aucto et Apostolica auctoritate recognito. Sed jam ante Pius V novam creaverat Congregationem, cui prohibitionis librorum et Indicis confectionis curam commiserat, uti patet ex verbis P. Libelli, qui erat a secretis istius Congregationis tempore Alexandri VII, qui in monit. ad lect. in Indic. Clem. X, ann. 1670: « Hanc, inquit, postea deputationem (scilicet Concilii) in Indicis Congregationem Pius V erexit, Secretario eidem adsignato Antonio Possio ad quod munus deinceps Summi Pontifices viros ex ordine Prædicatorum adsumpserunt. » Vide Ruele. *Saggio dell' Istoria, dell' Indice Romano dei libri proibiti pag. 124.* Anton. Zaccar. *Hist. polem. delle proibizioni dei libri lib. 1, epoc. 6, pag. 153. editio. Roman. 1777.* Sixtus V vero in supradicta Bulla illius auctoritatem ampliavit addendo opportunas facultates his verbis. (12. « Quia vero hæresis morbus animæ perniciosissimus, ut cancer serpit, et filii tenebrarum arcem Catholicæ veritatis omni machinationis genere oppugnant, libris præsertim heresis veneno infectis promulgandis, aliisque noxia doctrina aspergendis, corrumpendisque, postulat a Nobis Pastoralis officii sollicitudo, ut vulpes dolosas, et lupos rapaces ab ovili Christi omni vigilantia arceamus. Quare ut Cardinales, qui ad libros prohibendos, expurgandosve delecti sunt, in ea cura diligenter, ac majori cum fructu versentur, has illis facultates tribuimus, ut librorum ejusmodi catalogos, et indices, aut olim, aut proxime confectos, eorumque regulas editas recognoscant, atque examinent, certorum auctorum libros prohibitos, aut quovis modo in prioribus indicibus suspensos diligenter exentiant, et prout expedire judicaverint, permittant libros, qui post indicem Tridentini Conc. jussu editum prodierunt. Catholicæ doctrinæ, christianorumque morum disciplinæ repugnantes expendant, et recognoscant, ac ubi Nobis retulerint, nostra auctoritate rejiciant, hominum vero injuria, et dolo depravatos emendent, eos libros, qui paucis erroribus rejectis aliquin utiles studiosis esse possent, expurgandi, atque corrigendi modum ineant, indicesque expurgatorios conficiant, novos præterea libros approbandi, et imprimendi rationem præscribant. Universitatum Parisien. Bononien. Salamantin. Lovanien. aliarumque probatarum studia, ad librorum expurgationem, et correctionem excitent, earumque diligentem operam, et industriam requirant.

Permittimus quoque eidem Congregationi, ut Theologis, Canonistis, aliisque peritis viris, piis atque idoneis, etiam aliunde accersitis, ad hoc omne negotium Reipublicæ Christianæ tam in his temporibus necessarium adhibitis, eam ob rem tantum, nec vero aliis, libros vetitos tenendi, legendique etiam absque nostra licentia impertiantur facultatem. »

(13. Constat Congregatio Indicis lib. prohib. ex competenti numero Cardinalium, pro beneplacito Pontificio, et habet Secretarium ex ordine Prædicatorum et magnum quoque numerum Theologiæ aliarumque literarum professorum, qui Consultorum nomen obtinent, in quibus præcellit Apostolici Palatii Magister, primarius et fixus ejusdem Congregationis Consultor. (14. Consultores debent revidere et examinare diligenter libros, de quibus suspicio habetur juxta Secretarii distributionem, et postea de illis referre in plena Congregatione, quæ pro numero et urgentia negotiorum in aliquibus anni temporibus haberi solet. Plura, si cupis de prohibitione librorum vide Instruct. pro iis qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis operam sunt daturi, Clementis VIII auctoritate regulis Indic. adjectam. v. *Index Lib. prohib.* pag. 18, edit. Rom. 1841. (15. At nos, ut omnino appareat methodus, quam S. Congregatio adhibet, referemus hic Constitutionem Benedicti XIV, de methodo servanda in examine et proscriptione librorum.

#### BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Sollicita, ac provida Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vigilantia in eam semper curam incubuit, ut Christi fideles ab eorum librorum lectione averteret, ex quibus incauti, ac simplices detrimenti quidpiam capere possent, imbuique opinionibus, ac doctrinis, quæ vel morum integritati, vel Catholicæ religionis dogmatibus adversantur. Nam, ut vetustissimum mittamus sancti Gelasii I Decretum, quæque jam pridem a Gregorio IX, aliisque Pontificibus hac de re statuta fuerunt; ignorare neminem arbitramur, quæ fuerint a prædecessoribus nostris Pio IV, Sancto Pio V, et Clemente VIII, diligentissime præstita, ut saluberrimum opus a sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Patribus susceptum, mature discussum, ac pene ad exitum perductum, de vetitæ lectionis librorum Indice conficiendo, atque vulgando non absolvent solum, atque perficerent, sed sapientissimis etiam decretis, ac regulis communirent. Quod quidem negotium Apostolica Sedes continenter urget, ac promovet; ad id deputatis duabus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos, noxiosque libros impositum est; cognoscendique, quibus emendatio, et quibus proscriptio debeatur. Id muneris Congregationi quidem Romanæ universalis Inquisitionis a Paulo IV commis-

sum perhibent, idque adhuc ab ea exercere pergit, ubi de libris ad certa rerum genera pertinentibus judicandum occurrit. Certum est autem, sanctum Pium V, primum fuisse Congregationis Indicis institutorem, quam subsequentes deinde Pontifices Gregorius XIII, Sixtus V, et Clemens VIII confirmarunt, variisque privilegiis et facultatibus auxerunt: ejusque proprium, ac fere unicum officium est, in examen libros vocare de quorum proscriptione, emendatione vel permissione capienda est deliberatio.

§ 1. Qua maturitate, consilio, ac prudentia in Congregatione universalis Inquisitionis de proscribendis, vel dimittendis libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum nos ipsi plane perspectum, ab diuturna experientia comperit habemus; nam in minoribus consueti, de libris nonnullis in ea censuram tulimus, et consultoris ejusdem Congregationis munere diu perfuncti sumus; postremo inter sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales cooplati, Inquisitoris generalis locum in ea obtinuimus; ac demum ad Apostolicam Sedem, meritis licet imparibus, evecti, non modo Censorum animadversiones in libros nonnullos aliquando legere, ac ponderare, sed etiam in Congregationibus, quæ singulis feriis quintis coram nobis habentur, Cardinalium sententias, atque suffragia, antequam de iisdem libris quid decerneretur, audire, excipere consuevimus. Haud minoris diligentia testimonium ferre possumus, adeoque debemus, pro altera Congregatione Indicis, cui generaliter incumbit, ut supra diximus, de quorumvis librorum proscriptione decernere. Dum enim in minoribus versamur, cum primi tum secundi Censoris, seu Relatoris officium in ea Congregatione non semel obivimus: ex quo autem supremum Pontificatum gerimus, nullius libri proscriptionem ratam habuimus, nisi audito Congregationis Secretario, qui libri materiam, Revisorum censuras, Cardinalium judicia, et suffragia accurate nobis exponeret.

§ 2. Sed quoniam comperit est nobis, atque exploratum, multas librorum proscriptiones, præsertim quorum auctores Catholicos sunt, publicis aliquando, injustisque querelis in reprehensionem adduci, tanquam si temere, ac perfunctorie in Tribunalibus nostris ea res ageretur; operam pretium duximus, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, certas, firmasque regulas proponere, juxta quas deinceps librorum examen, judiciumque peragatur; tametsi plane affirmari possit, id ipsum jam pridem, vel eadem prorsus ratione, vel alia æquipollenti, constanter actum fuisse.

§ 3. Porro Romanæ universalis Inquisitionis Congregatio ex pluribus constat sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus a summo Pontifice delectis, quorum alii sacre Theologiæ, alii Canonici Juris doctrina, alii Ecclesiasticarum rerum peritia, munerumque Romanæ Curie exercitatione, prudentiæ demum, ac probitatis laude, conspicui habentur. His adjungitur unus ex Romanæ Curie Præsulibus, quem Assessorem vocant; unus

etiam ex Ordine Prædicatorum sacre Theologiæ Magister, quem Commissarium appellant; certus præterea Consultorum numerus, qui ex utroque Clero sæculari, ac regulari assumuntur; alii demum præstantes doctrina viri, qui a Congregatione jussi, de libri censuram instaurant, iisque Qualificatorum nomen tributum est. De variis in præfata Congregatione, iisque gravissimis rebus agitur, in primis autem de causis fidei, ac de personis violatæ religionis reis. At cum librum aliquem ad eam, tanquam proscriptione dignum, deferri contigerit; nisi ad Indicis Congregationem, ut fieri plerumque solet, judicandum remittat, sed pro rerum, temporumque ratione sibi de illo cognoscendum esse arbitretur; nos, inhærentes decreto lato ab eadem Congregatione feria quarta kalendis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque a nobis confirmato feria quinta insequente, hac ratione, et methodo judicium institui mandamus.

§ 4. Primo nimirum uni ex Qualificatoribus, aut Consultoribus a Congregatione designando, liber tradatur, quem is attento animo legat, ac diligenter expendat; tum censuram suam scripto consignet, locis indicatis, et paginis in quibus notati errores continentur. Mox liber cum animadversionibus Revisoris ad singulos Consultores mittatur, qui in Congregatione pro more habenda singulis feriis secundis in ædibus sancti Officii, de libro, et censura sententiam dicant: ipsa deinde censura, cum libro, et Consultorum suffragiis, ad Cardinales transmittantur, ut hi in Congregatione, quæ feria quarta haberi solet in Fratrum Prædicatorum Cœnobio sanctæ Mariæ supra Minervam nuncupato, de tota re definitive pronunciet. Post ab Assessore sancti Officii acta omnia ad Pontificem referantur, cujus arbitrio judicium omne absolvetur.

§ 5. Cum autem sit veteri institutione receptum, ut Auctoris Catholici Liber non unius tantum Relatoris perspecta censura, illico proscribatur; ad normam præfati Decreti mensis Julii Anni Millesimi septingentesimi quinquagesimi, volumus eam consuetudinem omnino servari; ita ut si primus Censor Librum proscribendum esse judicet, quamvis Consultores in eadem sententiam conveniant, nihilominus alteri Revisori ab eadem Congregatione electo Liber et Censura tradantur; suppresso primi Censoris nomine, quo alter judicium suum liberius exponat. Si autem secundus Revisor primo assentiatur, tunc utriusque animadversiones ad Cardinales mittantur, ut iis expensis de Libro decernant; at si secundus a primo dissentiat, ac Librum dimittendum existimet, tertius eligatur Censor, cui, suppresso priorum nomine, utraque censura communicetur. Hujus autem Relatio, si a priore Consultorum Sententia non abluat, Cardinalibus immediate communicetur, ut ipsi, quod opportunum fuerit, decernant. Sin minus, iterum Consultores, perspecta tertia Censura suffragia ferant; idque una cum omnibus præfatis relationibus, Cardinalibus exhibeatur, qui, re